



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Ervbescentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

do aliquid communiter, vel in suo genere est peccatum, in venerabilibus, §. potest. de sent. excom. in 6. vel si aliquid impossibile contineat, ut in glo. c. per tuas. de senten. excom. vel contra ius, vel legem, vel si quis excommunicetur, quia bonum fecit, ut elemosynam, & huiusmodi in d. gl. infra. Excommunicatio. §. 16.

**ERRANTES** non videntur consentire. ff. de reg. iur. l. nihil. Et si sit error iuris, excusatur a dolo, & consequenter a poena, quae propter dolum debetur. d. 95. c. ecce ego. Errans in his, quae quis tenetur scire, molliter peccat, ut in his, sine quibus salus animae esse non potest, ut sunt articuli fidei. supra, Credere.

## ERVESCENTIA.

**ERubescencia** qua quis timet, & erubescit in his, quae sunt de necessitate salutis, ut confiteri peccatum mortale, & huiusmodi, aut confiteri ea, quae sunt fidei in articulo, peccatum mortale est, in alijs autem veniale, secundum Caiet. ibi in summa. Erubescencia est turpitudinis vitiosus timor, propter vitiosum aliquod quod vellet agere, secundum Tho. secunda secundae q. 144. a. 2. Unde est de turpi fiendo timor, verecundia vero timor de turpi facto.

## ÆTAS.

**ÆTAS** determinata in multis requiritur necessitate a iure, sine qua, quod est actum, non tenet, ut in sponsalibus. 7. anni completi requiruntur. in matrimonio anni 12. in foemina. & in masculo 14. de despo. impu. libr. 6. cap. vnico. nisi quando malicia aetati supplet, quod tunc est, quando sunt potentes ad coeundum simul, ut not. in d. c. vnico. In professione in foemina 12. anni completi, in masculo 14. requiruntur. in c. cum vitum. de reg. & c. significatum. ibi. & c. 1. de reg. in 6. In ordinibus primae tonsurae, & triu minorum 7. anni completi. c. in singulari. d. 77. Accolitus post annum 12. in d. c. in singulis. Subdiaconatus post annum 17. completum. Diaconatus post 19. completum. Presbyteratus post

24. completum. in cle. generalem. de aetate. & quali. or. Si tamen quis ante dictam aetatem ordinetur, suscipit characterem, sed non executionem ordinis, usque ad completum tempus, ut not. in d. cle. generalem, nec episcopus potest dispensare, ut ibidem not. Non autem reperitur quod aliam poenam incurrat, secundum Archid. floren. Sed secundum Ray. Anto. de Butr. in c. vel non est. de tempo. ord. non est suspensus ab executione illius ordinis, sed debet suspendi: tamen si exercet illum ordinem ante tempus, peccat mortaliter totiens quotiens exercet, licet non efficiatur irregularis, nisi prius suspendatur a superiore, intellige igitur quod non suscipit executionem, quia sine mortali non potest exequi, non autem quod ipso iure sit suspensus, sed quod suspendi debet. infra, irregularitas. §. 82. in fin.

**2** In electione monialium requiritur aetas 12. annorum completorum, aliter nulla ad electionem admittitur. cap. indemnitate. de elect. in 6. In iuramento, & testimonio, exigitur tempus pubertatis. in c. parvuli. 22. q. 5. Idem in testamentis, & in electione sepulturae. ar. in c. licet. de sepul. lib. 6. de aetate inquisitoris, infra, inquisitor. §. 1. in abbatisa aetas 30. annorum completorum. similiter in matre, seu priorissa, vel ministra, quae habet regere monasterium. in dict. ca. indemnitate. In abbate annorum 25. inceptorum. per ca. in cunctis. §. inferiora. de electioni ubi regulariter ad quamlibet dignitatem acquirendam, id tempus exigitur, licet de abbate non sit aliquid expressum. supra, Abbas. §. 1. in prioratu habente sub se collegium. 25. annorum inceptorum. ar. in cle. ne in agro. §. ceterum. de sta. regu. in prioratu non habente curam, 14. annorum completorum, quia oportet quod sit professus. capit. nullus. de electioni. lib. 6. ita tenet Pa. in cap. superinordinata, de praebend. licet alij dicant quod sufficit esse. 4. annorum, quod non tenetur. In Episcopo. 35. annorum completorum. capit. cum in cunctis